



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De opere operato 101

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

hominibus id ita inculcarunt, vt iam pridem infinitus animarum numerus in omnibus nationibus in atrocissimo hoc errore pereat. Hinc enim primum omnium exortum est, vt in maiori parte nationum conuersiones ad populum extra Aduentum & Quadragesimam ferme penitus interciderint: contra verò omnes anguli Missis referri sint.

Innocentium citant scribentem, *Quod sacerdos agit ministerio, populus agit voto.* Et tamen nihil apud eos intelligibiliter populo proponitur, vnde attentionem desideriumque mentis erga id quod Sacerdos verbo & sacramentis agit, concipere possit.

Sextò dicunt, Orationem sacerdotis, dum tamen in fide & præ deuotione fiat, efficaciorē esse apud hanc sacratissimam actionem & oblationem quàm aliàs. Ad cuius rei confirmationem adducunt Sermonem quendam qui sub nomine Cypriani circumfertur, eius verbo illum non esse optimè norunt.

Nemini Christianorum dubium est, orationem tanto efficaciorē esse, quanto ex firmiori solidiorēque fide proficitur: non autem virtute actionis apud quam fit. Quamuis apud omnes verè fideles etiam externa S. Cœnæ actio multum valet ad fidem ac deuotionem promouendam. Alioquin Dominus omnem fidelem precationem, vbicumque ea fiat, benignè se exauditurum promisit.

### De Opere operato.

#### C A P. C I.



**H**oc loco dicunt Aduersarij, Scholasticis doctoribus inuiciliter & malitiosè affingi, quasi docuerint opus sacerdotis in Missa valere coram Deo ex Opere operato, sine bono motu vtentis, sinēque opere operantis, hoc est, etiam si nec sacerdos nec populus suum opus, hoc est veram fidem adiungat.

#### Responsio.

**H**anc erroneam seductoriāque doctrinam Christiani nemini adscribunt, nisi qui vltro se illi adiungit. Quoniam verò experientia compertum est, multa millia sacerdotum quotidie contra ordinationem & institutionem Domini missas facere, aliòsque homines eas audire, quos ambos propria vita conuincit, quod omni pœnitentia ac fide vacui sint, quandoquidem in manifestis & excommunicatione dignis flagitiis sceleribusque contra conscientiam hærent, negari non potest errorem istum in nimis magna hominum parte sat altas radices egisse, quas necdum Aduersarij, euellere tentant, quin potius omnibus his, quæ ad conseruationem istius abominationis faciunt, fūco patrocinantur.

Alioqui verum est S. Cœnam iuxta institutionem Christi administratam, per se bonum ac salutiferum opus esse omnibus qui ea ritè vtuntur: etiam si sacerdos omni fide destitutus sit, modò populus sine propria culpa id ignoret. Consimilis ratio est etiam de cæteris ministeriis Ecclesiasticis, mādatis ab ipso Domino, in quibus omnibus solum opus operatum, hoc est opus iuxta verbum & mandatum Domini peractum, atque idcirco opus ipsius Domini, quamuis per ministrū externè absolutum, vtile ac salutiferum est fidelibus: siquidem illud tāquam opus Domini vera fide recipiant & vsurpent: nihilque obest illis opus operantis ministri, licet impurum sit, hoc est, non quidem vera fide, sed tamen alioquin iuxta institutionem Iesu Christi à ministro perfectum. Omnis enim gratia in sacramentis nullo modo ex opere operantis ministri, sed ex opere operato Christi, quod ibi iuxta verbū & mandatum illius præbetur, proficiscitur. Nihilominus tamen opus operantis sumentis & sacris Christi vtentis quoque accedere oportet, hoc est, indubitatam fidem in Christum & promissiones eius, quæ opus Christi apprehendit, eoque fruitur. Non quod fides aliquid ex se nobis promereatur, vel ad opus meritūque Christi nonnihil ponderis præterea adferat, sed quòd opus meritūque Christi apprehendat.

Quod si voluerimus ad hunc modum ista verba intelligere, nihil cōtrouersæ in se habent. Verum loquendum est iuxta vulgarem consuetudinem, & ad captum hominum, quòd veritas omnibus perspicuè patefieri, & à mendacio propriè discerni queat: quòd & mendacium homines relinquere, & veritati firmiter adherere possint. Neque licet in Ecclesia Christi eiusmodi horrendis abominationibus fucatis sermonibus patrocinari, quo facilius rudioribus hominibus tanquam insignes cultus supponantur, vel ipsi in talibus abominationibus confirmantur. Iam verò nimis, proh dolor, manifestum est, quomodo homines apud Missam opere operato non Christi Domini, sed sacerdotis fidant: idque non eo modo quo instituit Dominus, & ipsius opus esset: sed quemadmodum iamdudum contra ordinationem Domini deprauatum, opusque Antichristi factum est.

Adhæc quomodo nihil curent opus operantis vel ministri, vtrum fideliter id peragat: vel sumentis, qui tamen iudicium sibi sumit, quando sine proprio opere operantis, hoc est, opere veræ fidei suæ, opus operatum, quamuis iuxta mandatum & institutionem Domini peractum, vsurpat, vel eius se participem reddit.

Porro noua disputatio ab Aduersariis excitata est de Consecratione, Vtrum ea si Canone fieri possit: ad quam nonnihil respondendum est.

De